



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 1. Quid & quotuplex est Sacramentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032



TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Sacramentorum Novæ Legis.

Q. I. *Quid est quod duplex est Sacramentum?*
 Resp. **Q** Sacramentum genericè sumptum,
 est signum sensibile, gratiæ sanctificantis, per-
 manenter à Deo institutum. Sacramentum
 verò novæ Legis est signum sensibile, perma-
 nenter à Christo institutum, ad significandam
 & producendam gratiam sanctificantem ex
 opere operato. Undè in eo maximè differt
 à Sacramentis antiquæ Legis, quòd hæc non
 causarent gratiam, ex opere operato, sed tan-
 tum illam significarent nobis dandam per Pas-
 sionem Christi, ut docet Conc. Florent.

Sacra.

Sacramenta novæ Legis sunt septem, non plura nec pauciora, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-UNCTIO, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Trid. sess. 7. can. 1.*

Q. 2. *Quibusnam Sacramenta essentialiter perficiuntur?*

Resp. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione, faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* *Conc. Florentin. in decreto de Sacram. & constat etiam ex traditione & perpetua praxi Ecclesiæ.*

Porro Materia Sacramenti dicitur id, quod in Sacramento minus perfectè significat ejus effectum: unde debet determinari per aliud ad eum perfectè significandum. Duplex est materia nempe remota, & proxima. Materia remota est res, quæ adhibetur, ut Aqua in Baptismo. Proxima est usus seu applicatio talis rei, ut Ablutio. Forma verò est aliquid sensibile quod clariùs effectum Sacramenti indicat, & determinat, ac perficit significationem materiæ obscuram, nec satis determinatam. Verba autem strictè sumpta, seu vocalia, sunt forma essentialis in omnibus Sacramentis, saltem præter Matrimonium, quod juxta communio rem sententiam, potest perfici